



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Acta sanctorum

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur, quae
ex Latinis et Græcis, aliarumque gentium antiquis monumentis

XI priores dies complectens

Bolland, Johannes

Parisiis et Romae, 1863

De S. Juliano Martyre.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72708](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72708)

Notker. ms. S. Maximini, Carthus. Colon. in Addit. ad Usuard. Nos cum Martyrol. Romano xx Septemb. Amadeus ex Abbate Altae-cumbæ Episcopus Lausannensis, hoc die refertur et Beatus appellatur a Chry-

sostomo Henriq. in Menologio Cisterc. De eo agemus xxvii Sept. Melania junior. Martyrol. Germanic. Nos xxxi Decembris.

EX VARIIS.

NOT. 140.

RELATIO PUERI JESU.

VII JANUARIJ.

Celebratur in Martyrologiis, Romano, Bedæ, Usuardi, Adonis, Wandelberti, Notkeri, Maurolyci, veteri Romano, Germanico, ms. Florario, vii Idus Januarii, Pueri JESU relatio, sive educio ex Ægypto. De qua consuli possunt sacræ Scripturæ Interpretes. Quo anno acciderit, alibi fortassis di-

sputabimus. Alii xi Januarii hanc relationem referunt. Quo die Notkerus: Eductio Domini de Ægypto, quæ secundum alios vii Id. Januarii, secundum quosdam Nonis Januarii, propter multorum dierum profectio-

DE S. JULIANO MARTYRE.

VII JANUARIJ.

Celebratur vii Januarii in variis Martyrologiis, nominatim Romano, Bellini, Maurolyci, Galesinii, Molani Addit. ad Usuard, etc. S. Julianus Martyr. Locus tempusque martyrii non proditur.

NOT. 111.

L. Magnus Julianus Toleti Martyr.

2 In Chronico quod sub Fl. Dextri nomine editum est, ad an. xci, ista habentur num. 7. S. Julianus, civis Toletanus, Toleti patitur vii die Januarii. Fuit Episcopus. At quæ ita commentatur Franc. Bivarius: Ignorabatur hactenus quis ille Julianus fuisset, latinitque Baronium: sed nunc Dextri Chronico manifesta multa fiunt, quæ sine eo ignorabantur. Ad annum vero LXXXVI, nu. 6, idem Chronicon: S. Julianus discipulus S. Petri, Martiali carus, Vicum transferatur. Interpretatur hæc Bivarius, eo anno, Domitiani Cæsaris jussu, Roma relegatum in Hispaniam. Et fuere quidem loca nonnulla apud Hispanos, quibus Vici nomen impositum. Addit Bivarius, ante S. Eugenium (de quo xv Novemb. agemus) civibus suis Toletanis Evangelium prædicasse, fuisseque Toleti et totius Carpetania Episcopum vocatum. Ut probet Martiali carum fuisse, aliquot recitat epigrammata ad L. Julium scripta; quæ (ut fatear quod sentio) levis est conjectura. Sane Eugenium fuisse primum Toletanorum Apostolum, Franciscus Pisa in Toleti descriptione, aliique tradidere Auctores. Iterum de Juliano. Dextri Chronicon ad anno xciv, num. 4. L. Magnus Julianus civis Toletanus et Martyr, in pretio habetur. Quod de habitis ei post mortem honoribus, patrisque miraculis Bivarius accipit. Sed hæc Toletanis accuratius discutienda relinquimus.

S. Julianus Martyr Calari.

3 Seraphinus Esquirrus Sanctuarii Calaritanipart. 1, lib. 2, cap. 26, testatur an. mxcv, xxii Julii, repertas esse Calari in Sardinia S. Juliani Martyris reliquias; ossa nimirum totius corporis, apte composita, singula suis locis, ac velut connexa, eaque grandia, caput integrum, tribus saucium plagis, occipite adhuc sanguinolento: in eodem tumulo lapidem juxta caput conditum, sanguine oblitum; unde conjici posset, lapidibus fuisse interemptum. Gemina prius inventa erat epigraphæ, quæ S. Juliani hæc esse pignora testaretur: prior litteris nonnullis vel humore corruptis, vel ipsa refossione con-

IC IACET B. M. IVLIANVS
VI BIXIT ANNIS
NVS XC. REQVIEVIT
VIRGINIS PARTV

Eam epigraphen ita Seraphinus exponit: Hic jacet beatus Martyr Julianus, qui vixit annis plus minus xc, requievit in pace anno a Virginis partu.....

Altera inscriptio sic habet:

✠ B. M. IVLIANVS QVI VIXIT ANNIS PLVS
MINVS C. REQVIEBIT IN PACE SVB D X KAL
MARX

Discrimen ætatis ex omissa littera X ante C fortassis ortum.

4 Elsi vero xx Februarii occisus dicitur, coli tamen vii Januarii tradit Seraphinus, maxima celebritate, ingenti hominum ad ejus ecclesiam tribus milliariibus Calari distantem concursu. Addit genere ac dignitate illustrem fuisse, pingique equestri forma solere, et passim a Sardis appellari SANCTU JULIANU CONTI, quasi Comes fuerit. Eodem spectat, quod in ejus sepulchro repertus est medius annulus aureus, ac filamenta quoque aurea.

5 Philippus Ferrarius ii Januarii hunc refert his verbis: Carali in Sardinia S. Juliani Comitis et Martyris; traditque in Notis, magnam in tota insula venerationem habere, ejusque nomini complures dicatas esse ecclesias; sed tempus martyrii ignorari. Cur vero qui xx Februarii martyrio coronatus dicitur, colatur a Sardis vii Januarii, nos latet. Franciscus de Esquivel Archiepiscopus Calaritanus in Relatione inventarum reliquiarum ad Paulum V missa, eadem tradit de S. Juliani veneratione, sacrisque illi ecclesiis; atque in vicis circum Calarim dum sub Missæ initium Confiteor recitatur, plerosque addere solere, etiam ante hanc inventionem, et S. Juliano Comiti.

6 Fateor hæc aliquanto probabiliora videri iis, quæ in Dextri Chronico dicuntur. Si tamen fuit ille Toleti Julianus, nihil ejus derogatum honori volumus. Quare iterum de S. Juliano Calaritano xx Februarii agemus, præsertim si interea certiora consequamur monumenta.

DE SANCTIS MARTYRIBUS

SPOLICOSTO, PALLADA, CANDIDA.

VII JANUARIJ.

Celebrantur hi in pervetusto ms. Martyrologio S. Hieronymi his verbis: Et in Græcia Spolicosti, Palladæ,

Candidæ. Plures reperiuntur Candidæ, sed nulla his juncta comitibus.

DE